EXAMINA. SOLEMNIA.

GYMNASII. FRANCOFURTENSIS.

JUSSU. ET. AUCTORITATE.

SUMME. VENERANDI. CONSISTORII.

AUG. CONF.

HOC. IPSO. VERNO. TEMPORE.

PUBLICE. CELEBRANDA.

EA. QUA. DECET. PIETATE. ET. OBSERVANTIA.

INDICIT.

Dr. Ioannes. Theodorus. Vœmelius.

Rector et Professor.

FRANCOFURTI. AD. MŒNUM.

TYPIS. HENR. LUDOV. BRŒNNERI.

MDCCCXL.

Ludovici Roedigeri Prorectoris

De Dialectices Apud Graecos Progressu Commentatio.

Dialectices apud Graecos progressum lectori benevolo summatim adumbraturus, quandoquidem disciplinam illam gravissimam alii aliter definiant nequedum inter homines doctos de ejus ambitu methodo auctoritate satis fere constet, hoc primum faciendum puto, ut secundum Platonem hanc ei maxime vim tribuam, ut omnes disciplinas artesque humanas uno societatis vinculo colliget earumque rationibus summisque principiis stabiliendis quasi lux et firmamentum prodeat. Hoc maxime Plato spectasse putandus est, qui dialecticae praecepta licet non peculiariter consignaverit, ad ejus rationem omnes disputationes ita exegit, ut in ea summum philosophiae momentum posuerit; eodem mutato nomine Aristotelis philosophia prima tetendit, ut sua vi et potestate et logica et metaphysica complecteretur ac firmitate dignitateque multo ethica et physica superaret. Idem Sexti Empirici eruditae acutaeque dubitationes sibi proposuerunt, quas, quamvis in rebus criterium veritatis desperarent, quod Kantius noster ipsa mente humana diligentius exploranda paene assecutus est, secutas certe esse non negaveris. Quid quod nuper Aristotele in Platonem translato nova aliqua prodiit logica, qua quum Scholasticorum in notionibus somniantium revocantur argutiae, lapis ut in proverbio est, qui tollendus erat, ambitur. Agitur enim quummaxime de aenigmate perdifficili recte solvendo, quod de ideis innatis inde a Platone propositum a plerisque omnibus neque solvi desideratur neque jam solutum esse intelligitur. Logices quidem augustias parum hic valere facile tibi persuaseris. Quo enim tibi in definiendo acumen, in dividendo subtilitatem, in demonstrationibus diligentiam, si principiorum firma non constat architectonica, quo omnia redeant unde ducantur omnia. Quum vero homines ante in mythorum metonymiarumque ambiguitatibus somnient, quam cogitando vera attingant, cogitantes multa temere ante rimentur, quam veritatem certa via et ratione inveniendam esse intelligant, quum inter logices denique praecepta atque ultimos metaphysicorum recessus plurimi interjaceant loci mathematici astronomici physici de virtute pulchro ac sublimi obscuri atque perdifficiles, nihil sanequam est quod miremur disjecta primum totius

disciplinae apparuisse membra, tum systemata ab aliis aliter usque omnifariam tentari, historiam denique philosophiae magnificorum aedificiorum cadaveribus plurimis ante conspici obrutam, quam unum vera dialectica demum reperta philosophiae corpus constitui possit omnibus numeris absolutum.

Ex mythologiis poëticis sententiisque moralibus paulatim Graeci philosophari coeperant. Ab externi mundi contemplatione atque coelestium imprimis admirabundi vicissitudinum constantiam primum unde omnia nata essent quaesiverunt. Quumque parum in absurdis theogoniarum enarrationibus fabularumque involucris effecta effectionibus explicari animadvertissent et singulas quasque res ex universitate quadam naturae edi sibi persuasissent, vim quandam infinitam pro Chao Hesiodeo eamque animalem statuerunt, qua omnia regerentur. Et quidem ab initio sensuum impulsioni extrinsecus oblatae nihil diffidentes omnia ex infinito et finiente moderante caussa aliqua ita oriri censuerunt, ut quidquid ortum esset, ex utroque illo mixtum conflatumque haberetur. Itaque quattuor deinceps rerum principia notionibus evoluta sunt materia informis (*τὸ ἄπειρον*), finitio (*τὸ πέρας ἔχον*), res singulae (*τὸ συμπεπερασμένον*) denique *αἴτιον*, quae omnia postea Aristoteles mutatis nominibus magis perspicue distinxit atque essentiae vinculo conjuncta ex uno fonte mentis aeternae prodire voluit. Quumque Jonici pro gentis suae indole diutius in rerum externarum contemplatione morantes, ut poëtae carmen epicum, ita philosophi physicas de generatione mundi caussas investigassent in unaque aliqua materia, tanquam rerum principio, alii alia primum aqua, tum aëre, denique infinito ipso haesissent, qui inter Dorienses exstiterant sapientes majore cogitationum ambitu ad interiores cognitionis recessus pervenerunt. Eodem enim fere tempore Pythagoras et Xenophanes ex Jonia in magnam Graeciam advecti ultra rerum sensibus subjectarum contemplationem escendere conati sunt. Uterque repudiata sensibilium fluctuatione veritatem in universa mente divina per omnem naturam intentam ponentes novum iter cogitationum aperuerunt. Et Pythagoras quidem Harmoniam quandam mundi ad mathematicas proportiones condidit corporumque mundanorum concentui cuidam musico Deum praesidem fecit. Ad numerorum rationes enim omnia revocavit, quippe sine quibus neque cogitare neque cognoscere quidquam veri possemus. Etenim neque in rebus corporeis neque in notionibus aut ideis aut figuris scientiae constantiam reperiri; solos numeros esse in quos error non intraret atque eorum elementis etiam rerum principia contineri. Itaque coelesti quodam ardore cum suis incensus disciplinis maxime jejunis arithmeticae et geometriae ordinandis operam dedit quaeque ad usum posteritatis invenisset, in mystica sphaerarum somnia transtulit. Nulladum dialecticae vestigia apparent; quod in Pythagoreis minime mirum propter symbolicam, qua utebantur, docendi rationem et imperatum discipulis silentium. Priores Eleatici poëmata tantum didactica de natura rerum composuerunt. Qui vero quum Unum illud tenerent Ens immutabile, quod esset omnia, atque mentis aciem ab oculorum consuetudine sevocari juberent, fieri non potuit

quin magna sententiarum oriretur agitatio. Hinc primum fluxit dialectica cogitationum evolutio, cujus auctor Zeno Eleaticus fuisse perhibetur. Namque indidem fere, unde decretorum rationis cum sensuum auctoritate repugnantia innotuit, etiam ars cogitandi ratiocinationibusque ex rebus perceptis ad id quod nondum perceptum erat progrediendi provenit. Hinc rhetores atque Sophistae, dum locos communes et argumentationum praesidia parant, inexhaustum fallaciarum armamentum condiderunt, quae totam Graeciam tantopere commoverunt, ut homines ingeniosissimi ad inveniendam logicam compellerentur.

Veritas a Xenophane in Deo ponitur, quem Unum esse et immobile neque natum unquam et sempiternum esse voluit conglobata figura. Acerrime Homeri Hesiodique mythologiae adversatus *εἰς τὸν ὅλον οὐρανὸν ἀποβλέψας τὸ ἕν εἶναί φησι τὸν θεόν*. Aristot. Metaph. I, 5, b. 24. Quod Unum quum sola mentis acie contemplaretur idem atque immobile, quae contra sensibus innotescerent, opinionum fluctuationibus obnoxia videret omnia, senex sic de inscientia humana questus est. (Sextus. Empir. adv. Mathem. VII, 49.)

καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ γένετ' οὐδέ τις ἔσται
εἰδὼς ἀμφὶ θεῶν τε καὶ ἅσσα λέγω περὶ πάντων.
εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα τύχοι τετελεσμένον εἰπών,
αὐτὸς ὅμως οὐκ οἶδε· δόκος δ'ἐπὶ πᾶσι τέτυκται.

Eandem de Uno sententiam Parmenides persecutus etiam subtilius Intelligibile et Opinabilia distinxit, hinc *κόσμον ἐπέων ἀπατηλὸν*, illinc unam mundi sphaeram, individuam, ejusdemmodi negationum expertem in spatio extensam atque eandem cogitationem (Simpl. in Phys. f. 31. b. 19. v. 83.) posuit.

οὐδὲ διαίρετόν ἐστιν, ἐπεὶ πᾶν ἐστὶν ὁμοῖον,
οὐδέ τι τῇ μᾶλλον, τό κεν εἴργοι μιν συνέχεσθαι,
οὐδέ τι χειρότερον, πᾶν δ'ἔμπλεών ἐστιν ἐόντος.
τῷ συνεχὲς πᾶν ἐστίν, ἐὸν γὰρ ἐόντι πελάζει. — v. 103.
αὐτὰρ ἐπεὶ πεῖρας πύματον τετελεσμένον ἐστίν
πάντοθεν εὐκύκλου σφαίρης ἐναλίγκιον ὄγκῳ
μεσσόθεν ἰσοπαλὲς πάντῃ· — v. 45.
χρὴ τὸ λέγειν τὸ νοεῖν τ' ἐὸν ἔμμεναι. ἔστι γὰρ εἶναι,
μηδὲν δ' οὐκ εἶναι.

Nihil prorsus mutari argumentatur quaque singuli cogitent homines, eadem vi cogitationis in omnibus et per omnia cogitari. In Opinabilibus propius ad Jonicos accedens ignem aëthereum essentiae moventi, quae contra mutentur, nocti et nonenti assimulat immanentemque in coeli conversionibus necessitatem mundi quandam procreatricem fato simul atque providentiae aequiparat. Idem illud unum, quod si perspexissemus, sciremus omnia Zeno pedestri oratione subtilique ingenii acumine defendens cum prioribus neque Multa cogitari neque Vacuum esse posse ratiocinabatur, tum vero, quod aliquanto praestat, notione Continui atque Infiniti accura-

tius enucleata, primus argumentum illud principale constituit, quo ratio humana quaecunque sensibus patefiunt tanquam visa incerta sublimiori ejus, quod per se est et absolutum, veritati postponere cogitur. Illuc ejusmodi elenchi pertinent, quales apud Platonem in Parmenide et Phaedro leguntur, plura si essent, eis attribui necesse esse contraria, quique totius dialecticae sophisticae cavillationumque inanium tela instrumentaque fuerunt, quum et judicii designationem ignorantes et quae contrarie quaeque contradictorie opponuntur aequiparantes per fallacias tam per accidens quam simpliciter et secundum quid errorum laqueis irretirentur. Huc referendum, quod primus Zeno vidit ex dividua spatii natura unamquamque rem qua unitatem quantitate carere et nihil prorsus esse, eadem si vicissim qua quantitas consideraretur, innumerabilibus constare partibus et carere unitate. Itidem spatii quod punctis confieri nequiret sustulit notionem ac nihil moveri posse quattuor argumentis effecit. Esse motum qui dicerent evidentia niti; qui negarent ratione. Quo quorsum vir acutissimus spectaverit plerosque omnes latuit quodque antinomiis mathematicis, quas primus reperit, in utramque partem disputandi iter aperuit, immerito a nonnullis in Sophistarum numero habetur. Absolutam necessitatem spectavit unam, id quod semper est simplex et uniusmodi et tale quale est.

Quibus difficultatibus perspicue cognitis fieri non potuit quin res divinae, quae ad deorum, animorum et corporum naturam pertinebant quaeque ab antiquitate physica vocabantur quippe una propositione ajente nonnullisque negantibus prorsus absolvendae aut omnino relinquerentur aut misso gravissimo illo eorum quae vere sunt et quae fiunt tantum discrimine vel tentanda utrorumque adeo conciliatione alia via tractarentur.

Hanc jam praeiverant Parmenidis fere aequales Heraclitus ex Jonicorum, Leucippus ex Eleaticorum familia. Heraclitus dum Multa et Unum conjungit, cuncta fluere atque continenter labi et propter id ipsum simul et esse et non esse ratus ignem in temporis vicissitudine aeternum, at perpetuo mobilem rebus ceteris tanquam legem animalem praefecit, quae omnia moderaretur. Eandem rationem per omnia transeuntem providentiam veritatemque appellavit, quam quum spiritu duceremus cum eaque consentiremus, recte homines sentire, dissentientes errare atque omnifariam falli. (Sext. Empir. adv. logicos VII, 129. 131.) *τοῦτον δὴ τὸν θεῖον λόγον καθ' Ἡράκλειτον δι' ἀναπνοῆς σπάσαντες νοεροὶ γινόμεθα — οὐ κατὰ μετοχὴν γινόμεθα λογικοί — κριτήριον ἀληθείας ὅθεν τὸ μὲν κοινῇ πᾶσι φαινόμενον, τοῦτ' εἶναι πιστόν — τῷ κοίνῳ γὰρ καὶ θείῳ λόγῳ λαμβάνεται — τὸ δέ τινι μόνῳ προσπίπτον ἄπιστον ὑπάρχειν, διὰ τὴν ἐναντίαν αἰτίαν.* Similiter Empedoclis musae molliores superiorum placita complectentis quattuor elementa amicitia conjungentes, inimicitia separantes necessitatem cum casus temeritate magis poëtice quam dialectica subtilitate tuebantur. Ignem enim Unum cum Multis, quae tribus reliquis elementis continerentur, perpetua commisceri transformatione ratus, quum similia tantum similibus cognoscerentur, animam ex omnibus elementis conflari effinxit neque de sensuum veritate

addubitavit. Leucippus contra Zenonis discipulus ex vere Uno nunquam fieri multa, ex vere Multis nunquam gigni Unum ratiocinatus, quum Multa data essent, idcirco ab initio Multa esse statuit atomosque appellavit varia figura, sed quandoquidem paria paribus tantum efficerentur, eadem qualitate praeditas, quarum concursu fortuito haec quae videremus exaedificari omnia. Ut motus admitti posset, praeter atomos Vacuum admisit, ut res perciperentur, ex atomis imagines fundi voluit. Attamen quum atomi non sensibus, sola mente cernerentur, fallacem oculorum consuetudinem repudiavit veritatemque in rebus a captu hominum seclusam collocavit. Sic quum omnia naturalibus fieri et ponderibus et motibus existimaret, firmissimum cognitionis humanae aedificium, sed quod ad externa tantum explicanda valeat, inchoavit recte admonens, hoc pacto veritatem rerum frustra quaeri nec sensibus ministris quidquam posse sciri. Anaxagoras denique (Aristot. Metaph. I, 3. b. 15. *οἷον νήφων ἐφάνη παρ᾽ εἰκῆ λέγοντας τοὺς πρότερον*) primus rerum descriptionem et motum mentis infinitae vi ac ratione designari et confici pronunciavit. Cumque totum se ad cognitionem naturae et coelestium contemplationem transtulisset, prae sapientia illa coelesti prudentiam humanam contemsit naturamque mythologorum superstitionibus liberatam omnia ciere et agitare voluit et motibus et agitationibus suis. Quum igitur nihil ex nihilo ortum esse sibi persuasisset, homoeomerias chemica varietate sui similes, cum primum confusae essent, in ordinem esse adductas dixit mente divina extramundana eademque separabili. Aeternam coeli siderumque in se remeantium circulationem a summo et mutationis et cognitionis principio rationibus mechanicis, non teleologicis explicare conatus parum quidem profecit, quippe mathematicis observationumque accuratarum subsidiis destitutus, tamen conaminibus suis aliquantum posteriorum et ipsius Aristotelis praecucurrit commentis quum hi astra in sphaeris tanquam animata a mundo sublunari distinguerent, non animadversis, quae multo rectius ab ipso disci poterant, motus liberi theorematis. Quod autem mentem divinam quasi otiosam induxit neque ejus imperio absoluto omnia subjecit, neglecta philosophia practica factum est, quod etiam Eleaticis acciderat, quorum ens illud unum et solitarium quum a mundi pulchritudine omniumque mutationum constantia prorsus esset diremtum, tum alto silentio tam virtutem hominum quam numinis divini sanctitatem premebat.

Jam ad memorabilem illam periodum proprius accedimus, qua mox post victorias de Persis reportatas in omnibus fere Graeciae civitatibus et imprimis Athenis tanquam in prytaneo humanitatis graecae incredibilis morum et opinionum facta est mutatio. Auctae erant opibus et gloria rerum gestarum civitates liberae; artes ingenuae et praecipue poësis ad maturitatem eximiam pervenerant; literarum amor et philosophiae multiformis studium animos civium praesertim juventutis alacris et fiduciae sui plenae accendebant; accedebat mercatura et expeditionibus multiplex rerum usus et prudentia. Jam dudum rerum publicarum conditio ita erat comparata ut ingeniosissimi cujusque studia ad artem dicendi variamque eruditionem incitaret.

Quum antea gymnasticae, explicandis poëtis et musicae tantum operam dedissent, jam ad mathematica physica rhetorica politica alia cum fervore incumbebant. De legibus moribus religionibus institutisque populorum disputari coeptum erat; incertae coelestium suspiciones hominibus umbratilibus relinquebantur, quae ad vitam forensem atque occupatam faciebant edoceri cupiebant. Quod jampridem in magna Graecia a Pythagoreis et Eleaticis, nominatim a Zenone factum traditur, ut scholas pro mercede aperirent, a Sophistis praesertim Athenis fieri coeptum erat. Non enim Socrates primus a rebus occultis ab ipsaque natura involutis philoso phiam avocavit et ad communem vitam adduxit, Sophistarum hoc fuit, quorum vitia magis quam merita vulgo commemorantur nec temere, verum si quaeris, dijudices, utrum corrumpere aut corrumpi saeculo an ipsis impertias. Jampridem de diis popularibus totaque mythologia dubitari occoeperat nec quae in vita communi et poëtarum operibus exstiterant honestatis praecepta, satis firmis nitebantur principiis. De principiis vero tummaxime agebatur. Quid mirum in tanta ingeniorum agitatione tantaque artium ac disciplinarum recens nascentium varietate res gravissimas non continuo faciles nactas esse explicatus neque honestatis religionisque illico extitisse vindices atque restauratores. Sophistae pleraque de superiorum sententiis ad commune judicium popularemque intelligentiam accomodabant, pauca, si rhetoricas artes exercitationesque exceperis, de suo afferebant. Sceptica eorum dialectica lusionibus ingenii vexatoriis delectabatur, quas a Zenone elenchi sophistici auctore mutuabantur neque illud Heracliti *πάντα εἶναι καὶ μὴ εἶναι* de omnibus in utramque partem disputari vetabat. Quum igitur iisdem de rebus alias aliud et sentiri et judicari animadvertissent rerumque fluxarum imaginem esse cogitationes, cogitationum sermonem, jam omnis veritas humana eo modo contineri videbatur, quo sibi quisque rerum notitias informasset et cum aliis communicare calleret. Quidquid igitur ex cujusque re esset, artis rhetoricae lenociniis arbitrariique judicii dexteritate asserendum censebant. Justum non natura, opinionibus callideque institutis contineri. Non eum censebat esse sapientem Protagoras Sophistarum facile princeps, qui aliis vera scientia praestaret, id enim contingere nemini, sed qui quidquid ipsi placeret, alteri persuadere didicisset. Homini hominem mensuram esse omnium rerum. Hinc indidem praeterita et mathematica et morali evidentia ista decantata: *δύο λόγους εἶναι περὶ παντὸς πράγματος ἀντικειμένους ἀλλήλοις. οὐκ εἶναι ἀντιλέγειν. πάντα εἶναι ἀληθῆ. τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν.* Ut Protagoras Heracliti, sic Gorgias Eleaticorum abutens placitis, quamvis ad omnia confidenter respondere paratus esset, negationibus omnis cognitionis humanae fidem prorsus sustulit atque evertit. Non enim esse quidquam asseverat; et ut sit, cognosci non posse; et ut queat cognosci, esse tamen ejusmodi ut nequeat promi atque ad audientes perferri. Quis talem disputandi sollertiam miretur, quum ejus praecepta non ad honestatis rationem, sed ad cupiditatum turpitudines accommodarentur, brevi inanem atque jactabundam argutiarum captatricem pravitatisque ministram evasisse. Tamen aliquem fructum neque eum me-

diocrem inde tulerunt. Primum apparuit quam parum validis rationibus niterentur superiorum philosophorum de rerum cognitionisque fontibus commenta; deinde vel inviti sophismatum et cavillationum lusibus admonebantur, quam vagus et ambiguus etiamtum esset Graecorum sermo, quam parum justae et parum perspicuae essent pleraeque notiones ac definitiones, quam facile vel per linguae ambiguitatem et grammaticae negligentiam falsa veri speciem induerent, quot denique modis eadem defendi atque vicissim impugnari possent. Postremo fieri non potuit quin quum rhetorum artes, nisi cum justa rationis disciplina essent copulatae, inanes et desultoriae arguerentur tum ista ipsa de omnibus dubitandi atque in utramque partem disputandi sollertia optimi cujusque animus ad absolutae veritatis studium honestatisque dignitatem accenderetur.

Exstitit Socrates (*αὐτουργὸς τῆς φιλοσοφίας*) virtutis veritatisque vindex, vir et in discendo et in docendo plane singularis, qui quum multum patriae et saeculo, plurimum sibi debuit. In quo Sophistarum artes atque argutiae, quibus omnis et vitae communis et philosophiae principia labefactabant, eo maxime valebant ut quum ipsius ingenium magis acueretur tum vero quidquid reconditum esset in ejus animo honestatis fortiter emicaret. Quumque non cum indignantis auctoritate, sed cum ironia contradicendum esset, ita ipse sophistam egit ut facile omnes captiose interrogando atque argute respondendo superaret. Verum dum strenue ac subtiliter se virtutis propugnatorem praestat, dialecticam, quae a Sophistis ad disputandi jactantiam et fallaciam conversa erat, rursus ad veritatis indagationem revocavit ac doctrinam de humana scientia ejusque natura ab eorum sophismatis defendit et admirabiliter emendavit. Atque ex ejus disputationibus de rebus bonis et malis ea methodus logica quasi enata est, quam exinde solam justae disciplinae accomodatam pueri et compendiis imbibere solemus. Eadem duce, quae in disciplinis fere omnibus etiamtum dissipata et dispersa fuerunt, brevi artibus concludi et breviore via doceri coeperant. Quodque Socrates non literis in libris, sed sermonibus in ipsis hominum animis sibi scribendum ratus colloquendo ipse inchoaverat, id scribendo praestantissimi ejus discipuli ita perfecerunt, ut omnium seculorum magistri veraeque dialecticae et inveniendae et condendae doctores evaserint.

Adhibebat enim in sermonibus, quos de rebus ad bene beateque vivendum valentibus instituisset, artem obstetriciam illam, qua ex animis notiones inchoatas ita eliciebat, ut non a Socrate didicisse, sed ipsi reperisse sibi viderentur. Omnia autem ad boni honestique sensum tanquam ad certissimum verissimumque judicem referebat. Atque ita sapientiam de Coelo, in quo physiologi quasi extrinsecus oblatam suspicati erant, devocatam in animi conscientia collocavit et simpliciter providentia fretus quaeque vera essent sibi concinere debere ratus, quum de rebus singulis disputaret, omnia ad earum cum notionibus necessitudinem revocavit. Aristot. Metaph. 13, 4. *Σωκράτους δὲ περὶ τὰς ἠθικὰς ἀρετὰς πραγματευομένου καὶ περὶ τούτων ὁρίζεσθαι καθόλου ζητοῦντος πρώτου, — ἐκεῖνος εὐλόγως ἐζήτει τὸ τί ἐστι· συλλογίζεσθαι*

γὰρ ἐζήτει.—δύο γάρ ἐστιν, ἅ τις ἂν ἀποδῴη Σωκράτει δικαίως, τούς τ' ἐπακτικοὺς λόγους καὶ τὸ ὁρίζεσθαι καθόλου. ταῦτα γάρ ἐστιν ἄμφω περὶ ἀρχὴν ἐπιστήμης. ἀλλ' ὁ μὲν Σωκράτης τὰ καθόλου οὐ χωριστὰ ἐποίει, οὐδὲ τοὺς ὁρισμούς. Hac ille disputandi via, quas Heraclitus *ἐν τῷ κοίνῳ λόγῳ*, quamquam non repererat, at significaverat tamen, leges normasque generales in dialectica demum perspicue proponendas discipulis reliquit. Atque hic meminerimus semel tantum post hominum memoriam repertam esse logicam, qua demum inventa omnes artes disciplinasque paulatim in eas compendiarias formas esse redactas, quibus posteriores paene innutriti oblivisci solemus, cui hanc institutionis partem utilissimam acceptam referre debeamus.

Quae ex Socratis disputationibus proseminatae erant familiae inter se plurimum dissentientes, in eo quod sibi res, non rebus se subjicere vellent, concinnerunt, in principiis dialecticaque ratione continuo vehementer discesserunt. Inanem quidem disputandi solertiam et rhetorum festivitates argutiasque minus curantes in notionibus earumque cum rebus necessitudine veritatem non sine negotio et labore investigabant et grammaticis subtilitatibus et metaphysicis nodis haud paucis impediti. Ex quibus Cyrenaicis placebat non dari criterium veritatis omnibus commune, communia autem poni judiciis nomina; Antisthenes et Cynici suam cuique rei proprietatem esse rati et res singulas definiri posse negabant et argumentationum conclusiones tollebant. Itidem Megarici de variis notionibus et inter se et cum rebus conjungendis dubitantes vim rationemque praedicatorum funditus sustulerunt. Iidem de connexis de possibilitate de principiis primis sine aliquo fructu commentati similiter atque postea Stoici, ignorata notionis generalis necessitate neglectaque judiciorum quantitate totam doctrinam de judiciis et argumentationibus inscite ex formis singularibus et hypotheticis duxisse videntur. In disputationibus regressu ad principia praetermisso conclusionibus, non assumtionibus adversarios ursisse atque vim inductionum argumentatione ex similibus sublata labefactasse narrantur. Quid quod non defuerunt, qui Stilponem ex eorum familia paulo post Aristotelem jam de syntheticis judiciis generalibus subdubitantem cogitasse censerent, quod ex locis citatis equidem haud dubitaverim an non satis recte concluserint. (Plutarch. adv. Colot. p. 22. 23. Diogen. L. 2, 119. Simplic. in phys. Arist. 20. 26.)

Ex his omnibus unus Plato Socraticam cum philosophandi rationem pulchri boni et maxime veri amore animatam optime retinuit, tum praecipue disputandi methodum dialogorum plane nova scriptione ita excoluit, emendavit ac vel erroribus promovit, ut mox in certam artis normam redigi posset. Hoc quidem ipsum non cadebat in poëticum ejus ingenium. Aliquanto majus dialogis scribendis molitus est, ut non sua solius sed etiam praestantissimi cujusque philosophorum et superiorum et aequalium placita cum adumbraret tum critica ratione excuteret. Quo factum est ut ejus libri quum rerum sententiarumque varietate et copia a Systematicorum jejunitate abhorreant, tum legentium ingenia egregie alant, acuant atque ad inveniendum excitent. Eadem enim obstetricia vereque inventrici arte non solum dialecticae con-

stituendae viam melius munivit, sed etiam, dum mundum intelligibilem magnifice explicat, Graecis et Romanis purioris religionis fontes aperuit. Attamen perdifficilis est in tanta librorum superstitum copia sententiarum nexus et cohaerentia. Namque ea est mimorum dramatumque natura, ut sermo incerto quasi exitu temere vagari filumque Ariadnaeum saepissime per anfractuosas disputationum ambages rumpi videatur; multa dedita opera occultantur, plura mythis allegoriis et jocorum venustatibus involvuntur; nonnunquam philosophus veram sententiam dissimulat, aliena ut in Parmenide Eleatica, in Philebo Pythagorica, non sua utitur dialectica vel quod in Timaeo factum videmus, dum a Pythagoreis probabilem aliquam creati mundi mutuatur imaginem, earum rerum ambitum transgreditur, quas proprie se scire profitetur. Veruntamen, licet nullam perspicue constitutam reliquerit universi systematis descriptionem, quantum et quomodo suis inventis adeoque luxuriantis ingenii erroribus ad promovendam dialecticam contulerit, facile ex Socratis Xenophontei cum Platonico comparatione dijudices. Aristoteles (Metaph. 13, 4.) Platonem cum ex Heracliti sententia omnia, quae sub sensus caderent, fluere nec stabilem fluentium esse scientiam teneret, a Socrate contra notionis et definitionis fidem accepisset, ut utraque sibi contraria conciliaret, ideas seorsum praeter res statuendas effinxisse. Hinc consequi ut omnium promiscue universalium ideae esse deberent. Quarum formas innumerabiles ut unitatis necessitate contineret, illud Unum Parmenideum in Boni ideam convertit, cujus perfectione absoluta, quum universam formarum finitionumque varietatem in se recepisset totumque idearum quasi corpus optime articulatum complecteretur, factum esse voluit, ut omnia, quae sunt, veritatem congruentiam et pulchritudinem accepissent. De rep. VI, E. *τοῦτο τοίνυν τὸ τὴν ἀλήθειαν παρέχον τοῖς γιγνωσκομένοις καὶ τῷ γιγνώσκοντι τὴν δύναμιν ἀποδιδόν, τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν φάθι εἶναι, αἰτίαν δ'ἐπιστήμης οὖσαν καὶ ἀληθείας, ὡς γιγνωσκομένης μὲν διὰ νοῦ· οὕτω δὲ καλῶν ἀμφοτέρων ὄντων γνώσεως τε καὶ ἀληθείας ἄλλο καὶ κάλλιον ἔτι τούτων ἡγούμενος αὐτὸ ὀρθῶς ἡγήσει.* — 509. B. *ἀλλ' ὧδε μᾶλλον τὴν εἰκόνα αὐτοῦ ἔτι ἐπισκόπει. πῶς; τὸν ἥλιον τοῖς ὁρωμένοις οὐ μόνον τὴν τοῦ ὁρᾶσθαι δύναμιν παρέχειν φήσεις; ἀλλὰ καὶ τὴν γένεσιν καὶ αὔξην καὶ τροφήν, οὐ γένεσιν αὐτὸν ὄντα. καὶ τοῖς γιγνωσκομένοις τοίνυν μὴ μόνον τὸ γιγνώσκεσθαι φάναι ὑπὸ τοῦ ἀγαθοῦ παρεῖναι, ἀλλὰ καὶ τὸ εἶναι τε καὶ τὴν οὐσίαν ὑπ' ἐκείνου αὐτοῖς προσεῖναι, οὐκ οὐσίας ὄντος τοῦ ἀγαθοῦ, ἀλλ' ἔτι ἐπέκεινα τῆς οὐσίας πρεσβείᾳ καὶ δυνάμει ὑπερέχοντος.* Quodsi meminerimus, quantum res sensibiles, quae quum perpetuo mutentur et cogitari nequeant, esse negantur, ab ideis distent, quas mutationis expertes uniusmodi et simplices cogitando tantum assequaris, facile patebit totum mundum externum revera prorsus sublatum et illum tantum relinqui intelligibilem, qui cum ejus mensura Deus sit (Plato de legg. IV. 716. c. *ὁ δὴ θεὸς ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα καὶ πολὺ μᾶλλον ἤ πού τις, ὥς φασιν, ἄνθρωπος.*) pura mente judice rerum verissima cernatur. Hinc jam intellexeris, quod in Timaeo ipse identidem profitetur, totam ejus rationem physicam in verisimilitudinum tantum versari

suspicionibus missaque effectorum ex effectionibus explicatione, quam in Phaedone se frustra ab Anaxagora exspectasse narrat, teleologicam mundi generationem ab ipso magis oblectationis quam scientiae caussa esse prolatam. Indidem patebit quum in Opinabilibus liberrime Pythagoreis symbolis mythorumque involucris utatur neque in εἰκασίας imaginibus magnopere sibi constet, cur in absolutae veritatis scientia in locum numerorum idearum, quas et res et cogitata imitarentur, substituerit participationem. Quum enim omnia mentis nostrae notitiis concludi nihilque nisi notionibus finitum comprehendi posse videret, suspicatus est esse in rebus naturas aliquas per se constantes atque ab omni mutationis temeritate immunes. His quod esse atque cogitare unum idemque videretur veram essentiem ultro attribuit, animos autem, quasi idearum harmoniae cujusdam praestabilitae participes et ipsos divinitus ideas esse existimavit. Quorum quoniam lapsu e vita divina, qua Deus totius Universi veritatem ipsis monstrasset, idearum notitia obscurata esset, philosophorum id maxime esse ut recolenda veri recordatione notionum per similitudines rerum discurrentium ope amissam cognitionem restituerent. En idealismum transcendentalem, quem Kantius noster revocavit atque antinomiis confirmavit, a Deo quidem suspensum, at humanitus in meris notionibus earumque admirabili cum ideis concentu positum. Quum enim haec omnia, quae oculis cernimus, simulacrum tantum mundi intelligibilis sint sensuumque cognitio speciosior quam verior nobis offeratur, notionibus explicandis docet philosophus veras rerum aperiri notitias. Quas ut recte sequamur atque ad idearum similitudinem conspirare intelligamus, rationibus nos jubet rerum universitatem contemplari, non ex effectis ac testimonio sensuum doceri. Quod qui faciat non minus videlicet imaginem tantum videre quam qui rationis principia sequatur. Sic omnia eo redeunt, ut recte cernendis conjungendisque notionibus, dum a multis similibus ad ipsum simile, a multis legibus ad legem ipsam dirigimur, definitiones notionum generalium investigentur, non minutae illae quidem, sed quae totis voluminibus copiose exponantur. Ejusmodi expositione in libris de rep. ethices et politices grandis imago spectanda proponitur, qua per omnem hominum vitam et privatam et publicam dominari oportere docetur Boni Justique ideam. Similiter in Timaeo ne sensibus nihil tribueret, id agendum putavit philosophus, ut accita experientia magistra, verisimilia ad rationis normam exploraret atque Boni ideam cum per universitatem rerum tum in hominum natura expressam esse doceret.

Platoni jam ab initio dum simplicem Socratis de notionibus doctrinam amplexatus primae periodi dialogos de virtutibus de amicitia de linguae origine de vera eloquentia aliis composuit, suam de ideis sententiam quamvis primo obscure obversatam esse, vel ex Lyside suspiceris, quam scriptionem si minus omnium primam, at in prioribus fuisse fere constat. Deinde gradatim ab ejus loci indagatione, qui est de virtutis doctrina et scientia, ad ipsius scientiae naturam processisse videtur. In illa enim quummaxime virtutem positam esse a Socrate acceperat. De scientia igitur quinque dialogis praecipue dialecticis disputavit. In Parmenide primum fun-

damenta et difficultates cognitionis intelligibilis (τοῦ ὄντως ὄντος) quasi auspicans subtiliter et propter praedicati subjectique commutationem paene taediose contra Megaricos ex parte tantum suam de essentia sententiam exposuit. Deinde in Theaeteto eorum, qui ut Protagorei Heraclitum sequentes scientiae originem a visis et sensibus repetebant, quid cognitio non esset argumentans refutavit opiniones. Tum in Politico hominum civilium prudentiae, in Sophista sophistarum calliditati vera philosophia opponitur, postquam illud Eleaticorum ens abstractum ad veritatem parum efficax esse subtiliter demonstravit atque in formis logicis vera essentiae vestigia, quae in Parmenide et Theaeteto procul secutus erat, expressa esse fusius, quam perspicue docuit. Quibus additus esse videtur Meno dialogus nullam plane scientiam mere extrinsecus tradi posse, immo quidquid veri discatur adjuvante tantum magistro ex inchoatis animi notitiis elici docens. Sic quot gradibus ex inanibus illius antri umbris ad solem escendendum sit, totidem ab oculorum consuetudine per singularum disciplinarum cohaerentiam ad illud artis dialecticae fastigium sola mente perveniri. Quidquid praeterea in dialogis majoribus Phaedro, Symposio, Phaedone, libris de rep. et de legg., ubi de summis metaphysices capitibus disputatur, praeter translationes symbolicas de dialectica recte adhibenda edocemur, ubilibet in media logica ita versamur, ut illius loci in Philebo de notionum ambitu complexuque summae admirationis pleni: ἀλλ' ἐστὶ τὸ τοιοῦτον τῶν λόγων αὐτῶν ἀθάνατον καὶ ἀγήρων πάθος ἐν ἡμῖν, usque in mentem veniat. Nec mirum; namque ad purissimum idearum splendorem nusquam nisi per mediam logicam recte pervenitur, in qua cum multa minus recte perspexisset, certum quodque firmiter traderetur systema condere non valuit. Quum enim vim et potestatem formarum logices in notionibus generalibus earumque conclusionibus reperisset nequedum a metaphysicis discerneret, primum opinione praejudicata Eleatica, deceptus toti experientiae tanquam temerariae fidem denegavit. Deinde idearum splendore quasi occaetatus ignorata judicii forma logica notiones, quibus res singulae subordinandae sunt, ita notionibus comparavit ut vel contra Parmenidem nonesse esse posse contenderet neque syllogismorum ad summa principia reductiones satis animadvertit. Contrarie et contradictorie opposita permutari, elencho sophistico subinde redargui et saepius imperfecta inductione e contrariis et ex consequenti analogica perperam concludi neminem praeterierit nisi ignarum. In hoc vero vel maxime peccavit, quod non tenuit in enuntiationibus subjectum habere substantiae auctoritatem, praedicatum accidentis locum occupare et quidquid abstracti cogitemus, ad substantiam esse reducendum.

Nihilominus mirum quantum de dialectica meruit. Omnium primum novam maximique momenti protulit divisionem agitationum mentis, quas docet totidem respondere rerum generibus (de rep., VI, fin.). Duo docet esse rerum genera intelligibilium aspectabilium. Horum utrumque rursus in duas partes eodem ambitu describi jubet, quarum altera res ipsas amplectatur sensibiles, altera earum imagines pro-

ponat. Quae in sensus cadant aut res ipsas esse quas vel natas vel arte factas cernamus aut earundem simulacra, quo referendae sint umbrae quaeque in aquarum speculis conspiciantur adumbrata. Utraque opinabilia. Simili modo quae sola mente intelligi queant, in duas partes item aequales ita dividi posse ut quum alterius formis sub sensus cadentibus utentes ex sumtionibus non ad principium, sed ad finem contendere cogamur, in altera rursus parte missis imaginibus ideas puras per se spectemus, quarum contemplatione a sumtionibus regredientes ad principium aliquod absolutum totum cogitationum iter conficiamus. Illud geometras facere qui figuris pictis tanquam imaginibus utentes ea spectare conentur quae non aliter quisquam nisi mente spectare possit; hoc autem philosophos, qui sumtionibus quasi ascendendi conandique causa usi nihil sensibile omnino adhibeant sed notiones ipsas per se ad ipsas ac desinant in notionibus. Ideas puras et a sensuum contagione secretas intelligentia (*νοήσει*) cognosci, earum imagines sensibiles intellectu (*διανοίᾳ*) percipi; res sub sensus cadentes fide (*πίστει*) harum denique simulacra conjectura (*εἰκασίᾳ*) cerni. Tam perspicue disciplinam philosophicam jam a mathematica distinxit, huic schematum evidentiam et methodi progressum, illi notionum explicationem et methodum analyticam tribuens. In physicis quidem quamvis mythos commentis e natura petitis nimis dedecorare sibi indulgeat, observationum experientiaeque contemtu minus profecit, tamen quum mathematica plurimi faceret adeoque spatium ejusque rationes quodammodo pro materia sumeret, discipulos inprimis Alexandrinos multo post scriptis suis miro ardore incitavit ut excolendis disciplinis mathematicis certa investigationis naturae firmamenta instrumentaque pararent, praesidium post multa secula contra cosmologica magistri somnia futurum efficacissimum. Platonici enim Timochares et Aristyllus coelum circulis primi descripserunt, quod Hipparcho et Ptolemaeo postea etiam melius successit; Euclides geometriam et opticam promovit; Archimedes denique et Apollonius mechanicam et curvarum theoriam repererunt, sine quibus, quae multo post Kepplerus et Galilaeus in stellis melius observaverant neque explicari nec totam astronomiam funditus reformare potuissent. Deinde abstractionem Eleaticam a Pythagorica ita distraxit, ut hac cognitionem intelligibilem cum sensibili ratione quadam adulterina conjungeret simul monens, ne eam intuentes somniaremus omniaque in loco aliquo et sede esse, quod vero neque in terra neque in coelo usquam esset, id nihil esse perperam statueremus. In dialectica postremo hoc plurimi faciendum, quod suam cuique animo invisibilium intrinsecus a deo impressam esse scientiam constanter tenuit, quae enotaretur per definitiones. Quodsi ideas usque a notionibus separasset, quod Aristoteles perfecit, ipse formas logicas a metaphysicis distraxisset neque in mysticismum aliquem logicum incidisset. Verum substantia, necessitate atque immutabilitate confusis, dum pro notionibus noeticis subinde notitias empiricas, saepius adeo comparativas ponit, vel invitus meris notionibus (*τῷ αὐτῷ τῷ* idearum) *τὸ ὄντως εἶναι* concessit, quibus praestigiis, id quod ipsi inductoria via procedenti nusquam probatur, posteriores et mundum et deum ex no-

tionibus somniantes effinxerunt. Quod quorsum spectet, facillime ex Phaedone liqueat, ubi animorum immortalitatem ex necessaria notionis vitae cum notione animi copulatione, dum copulam esse cum vera ejus verbi positione commutat, parasyllogismo a Kantio recte ac funditus sublato concludi voluit; id quod Aristotelis acumen non latuit. (Kantii crit. rat. pur. dialect. transcend. lib. poster. cap. I. de paralogismis rat. pur. pag. 289. ed. VI[ae].)

Qui vir acutissimus quum probe perspexisset systema magistri culminis cantheriorumque contignationibus superne contineri, nullis infra stabiliri fundamentis, quod a Sophistis Socrate Socraticis et praecipue a Platone optime praeparatum erat, sollerti diligentia perfecit. Praecepta disputandi a rebus ipsis, de quibus disputabatur, separavit et demonstrandi viam analyticam docuit primus. Arist. de soph. elench. 33. fin. *περὶ μὲν τῶν ῥητορικῶν ὑπῆρχε πολλὰ καὶ παλαιὰ τὰ λεγόμενα, περὶ δὲ τοῦ συλλογίζεσθαι παντελῶς οὐδὲν εἴχομεν πρότερον ἄλλο λέγειν, ἀλλ᾽ ἢ τριβῇ ζητοῦντες πολὺν χρόνον ἐπονοῦμεν.* Quumque magna esset varietate studiorum totumque doctrinarum artiumque orbem curiosa vel in minimis naturae operibus diligentia amplecteretur, disciplinam non modo condenda logica accuratius firmatam, verum etiam satis exstructam copioseque constitutam *ἀληθῶς ἐν φιλοσοφίᾳ πένταθλος* posteritati reliquit. Itaque non solum primus post hominum memoriam philosophiae universae disciplinam perpetuis praeceptis ordinatam, sed etiam perfectissimum in tota antiquitate omnium ejus partium artificium composuit idque tanta definitionum totiusque descriptionis perspicuitate, ut etiamnunc logices, metaphysices et psychologiae summa capita ad eum referantur auctorem. Constituta logica quidquid ex superiorum aequaliumque scriptis disci poterat, undique congessit suis inventis locupletavit in locos classesque distribuit confusa discrevit certoque vocabulorum usu signavit argumenta tam varia et gravissima, dum universam mente rerum naturam complectitur nec vero res humanas negligit, mathematica, mechanica, physica, physiologica, politica, moralia, historica, alia ordine explicuit et ad primas rationes reduxit, postremo etiam altius evolavit ad philosophiam primam doctrinam plane novam effingendam, quae ceteris omnibus longe certitudine et auctoritate praestaret.

Sed in viam redeam; disputabam de dialectica. Arte logica armisque dialectices regnum constituit aliquanto diutius quam quod regius alumnus constituere concupiverat duraturum idque tantum, unde quum ad res cognoscendas recte dijudicandas omninoque ad veritatem rationibus argumentisque stabiliendam tum ad doctrinarum artiumque ad omnem vitam fructuosarum normam constituendam per secula usus redundaret uberrimus. Totum organi corpus et quidem inverso fere atque edi solet ordine ab ipso conclusum esse libri aureoli de sophisticis elenchis epilogus et Topicorum initium ab auctore assutum significant. In libro elenchorum artes disputandi sophisticas propositis fallaciarum laqueos evitandi praeceptis funditus sustulit; Topicis dialecticam licet ex quibusdam locis totam absolvere cogitarit, ex parte tantum non sine magno totius disciplinae detrimento absolvit. Hinc ad Ana-

lytica explicanda ductus in prioribus syllogismorum categoricorum figuras modosque perscrutatus est, in posterioribus doctrinarum artificium quemadmodum demonstrationibus definitionibusque recte conficeretur perdocuit. Quibus libellos de categoriis et de interpretatione ad judiciorum et notionum vim et relationes illustrandas adjecit praestantissimos, quippe qui soli ad errores dialecticae Platonicae diluendos suffecturi fuerint illud praesertim evincendo hanc esse substantiae vim et potestatem, ut significet hanc rem (τόδε τι) neque aut in altero sit aut praedicetur de quoquam. Jam hinc luce clarius factum est Pythagoram formis mathematicis, Platonem notionibus, quum eorum uterque necessariis aeternisque cogitationum generalium formis necessitate logica deceptus essentiae fidem ultro tribuisset, substantiam essentiamque quasi jam adhaerentem sumsisse. Quod in logicis significasse contentus in libris metaphysicis acerrime et subtiliter res singulas demonstrat solas esse substantias, formas mathematicas et notiones generales, ut τὸ ἕν, τὸ ὄν non per se et seorsum constare, sed mera esse categoremata. Sed mirum dum substantiam quaerit, ipse categorema modale logicum formam formarum invenit. Accedebat quod etiam Zenonis dubitationes de spatio cogitatione non absolvendo, quae quid momenti haberent Plato parum perpenderat, temporis continuitate recte perspecta sustulisse sibi videbatur. Itaque relicto idealismo illo transcendentali ad Jonicorum placitum relapsus in sphaera mundi adspectabili eaque finita veram rerum essentiam posuit a Platonis praeside illo bono sanctoque mundi intelligibilis, cujus haec, quae oculis cernimus, simulacrum tantum essent, valde abhorrentem. Quamvis enim ad imaginem mundi in Timaeo delineatam proxime accedat eosdemque animantium gradus variosque modos a plantis ad astra servet, tamen dici non potest orbis iste astrorum continenter in se remeantium quamvis sublimis quantum ab illius sphaerarum harmoniae psychogoniaeque splendore distet atque frigeat. Hic non fabulis mythisque ullus est locus; contemplationem coelestium, quae foris sunt, sapientia sequitur; res humanae cum virtute ethica ab ea separantur et admodum tenui filo doctrinae de entelechiis cum universitate rerum colligantur.

Quemadmodum Plato ex notionibus comparativis, Eodem et Altero, Bono et materia informi omnia ideis interpositis et gigni et animari vult, ita Aristoteles a visis profectus ad substantiam ascendit formalem, quam artificiosa facultatis in actionis motum transeuntis expositione materiae dominam rerumque creatricem, quod Plato cogitari vetuerat, vel in spatio adeoque effectionibus paene adspectabilem constituit. Materiam docet inertem rem ad omnia paratam tantum potentia esse, sed fieri non posse quin aeternae cogitationis vi et efficacitate ad actionem transeat atque animetur. Quam perennem formae et materiae copulationem quum per totam universitatis fabricam nisu quodam formativo a stellis deorsum per ideas non otiosas illas Platonicas, sed mutationis generationisque genitrices omnia ciere, creare, animare, atque ita permeare, ut cogitando ad se redire suaque beatitudine frui videatur, quasi divinans doceat, tamen admodum humanitus illud caput rerum atque bonitatis

pulchritudinisque finem tanquam perpetuum motorem immobilem in ultima sphaerarum circumferentia collocat. Quam volent licet nonnulli illos (Metaph. XII, 7. *ἡ δὲ νόησις ἡ καθ' αὑτὴν τοῦ καθ' αὑτὸ ἀρίστου καὶ ἡ μάλιστα τοῦ μάλιστα. αὑτὸν δὲ νοεῖ ὁ νοῦς κατὰ μετάληψιν τοῦ νοητοῦ· νοητὸς γὰρ γίγνεται θιγγάνων καὶ νοῶν ὥστε ταὐτὸν νοῦς καὶ νοητόν· τὸ γὰρ δεκτικὸν τοῦ νοητοῦ καὶ τῆς οὐσίας νοῦς, ἐνεργεῖ δὲ ἔχων. — αὑτὸν ἄρα νοεῖ, εἴπερ ἐστὶ τὸ κράτιστον καὶ ἔστιν ἡ νόησις νοήσεως νόησις*) locos demirentur, illa cogitationis una et perpetua vis, quae tempus et spatium individuum facit, summus veri arbiter et auctor, quid aliud est, verum si quaeris, quam mentis humanae commentum ex experientia ductum, sibimet ipsum repugnans, simul finitum atque absolutum. Non essendi, cognoscendi scilicet principium requiritur.

Tantum igitur abest ut sensibus praeter rerum iudicium quidquam tribuat, ut totius experientiae complexum, cujus veritatem contra Platonem vindicat, uni mentis imperio subjiciat. Sensibus docet formam sine materia percipientibus ultro fidem habendam; quotiescunque erretur, solius mentis culpa fieri, quippe ex qua sola universae sensibus ministris rerum notitiae enascantur. Universalia autem, quod semper et usquequaque fiant, ita esse comparata ut rerum naturam necessario constituant, adeoque ex ipsis omnes causarum nexus repetantur neque aliunde pendeant quam a caussa caussarum omnisque veritatis auctore deo. Qui autem factum sit ut in vulgus sensibus et experientiae nudae patrocinari mentemque humanam tabulae rasae, quae extrinsecus inscribatur, comparare existimetur, mox videbimus.

Primum neque omnia neque in infinitum demonstrari posse docet; utrobique standum esse hinc a sensibus hinc a principiis ultimis, quae demonstrationis neque capacia sint neque indigeant. Inter utraque demonstrationes interjacere quae syllogismo et inductione fiant et axiomatis per se certis regantur. Quae axiomata duo potissimum posuit logica formulam repugnantium et exclusi tertii atque apagogice contra Heraclitum et Protagoram defendit. Syllogismo dialectico ad res probabiles dijudicandas relegata, ut scientia condatur syllogismis procedi debere a propositionibus non denuo demonstrandis. Quum autem et progressu ab universalibus ad res singulas et vicissim regressu opus sit, ea quae nobis per sensuum evidentiam innotescant inductione ad essentiam ascendere, quae natura tanquam universalia priora sint, ratiocinatione ab intimis naturae penetralibus ad attributa redigi. Sic in omni disputatione categoriis categorematisque ducibus quattuor caussas, ut quibus rei necessitas teneatur, investigandas ut per terminos medios (*τὸ τὶ ἦν εἶναι*) necessaria demonstrationis principia prodeant i. e. definitiones. Itaque totius scientiae (*ἐπιστήμης*) cardinem in justis et definitionibus et argumentationibus verti.

Ipse igitur quum totum disciplinarum ambitum definitionibus perspicue descripsit tum multiplici logices demonstrativae apparatu dogmatismi logici nimium definitionibus demonstrationibusque fidentis auctor exstitit. Verum ne scientia certis fundamentis careret, summa principia ultra demonstrationem requirenda esse docuit universas easque necessarias rerum notitias ultimas. Quum autem hinc a sensibus

nihil universale percipi illinc ratiocinationum conclusiones nihil valere ad summa principia, quippe ex quibus demonstratio ipsa penderet, probe perspexisset, negavit eorum nec demonstrationem esse nec nisi penes intellectum fidem esse ullam. Intellectum igitur non patientem illum, qui sensuum comparatione et inductione aleretur, at agentem suaque auctoritate primas propositiones deprehendentem et cogitantem principiorum principium statuit nihilque illo ut naturae ita scientiae auctore esse verius.

Quem vero tanquam solam humani animi partem immortalem quum foris intrare (Ar. de gener. animal. II. c. 3. λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον), morte foras exire neque tamen de lubrica mentis agentis et patientis copulatione usquam dixerit, qui animus humanus divinae mentis particeps fiat, qua comprehensione, quibusve finibus sua quasi vi prima deprehendat atque cogitet, plenam summorum principiorum cognitionem quodammodo deo reservasse, menti humanae meram ratiocinationum facultatem tribuisse putandus est. Sentiri quidem ea docet quodammodo, proxime percipi et quasi extrinsecus addisci (de anim. 3, 6. anal. post. I, 10; I, 2; I, 31. Met. VII, 10; 7.), quum vero viam et rationem evolvendi parat, ad inductionem ex recordatione saepius sensibus perceptorum, quae jam explosa erat, revertitur (Analyt. post. II, 19. Anal. pr. II, 21.) caute admonens (Anal. post. II, 5.): οὐδὲ γὰρ ὁ ἐπάγων ἴσως ἀποδείκνυσι, ἀλλ' ὅμως δηλοῖ τι. Nusquam accurate inquiritur, quomodo cognitio metaphysica (ἐπιστήμη ἀνυπόδεικτος) indagetur. Missis ideis Platonicis vel invitus ad empirismum logicum reversus totam illam gravissimam quaestionem paene intactam magnumque illud aenigma de summis principiis evolvendis aliis solvendum reliquit.

At philosophiam primam condidit. Verum Metaphysicam, ad quam omnia dirigenda sunt, ipsam ad oculorum speciem erroresque et mechanicos et astronomicos accommodans neque dei divinarumque legum sanctitatem agnovit neque altius in ipsius mentis naturam descendit. Cujus partes majores si eadem, qua inferiores (νοῦν παθητικὸν) diligentia examinasset et utrasque uno explicationum vinculo copulasset, jam profecto illa amphibolia evanuisset, qua Kantius nuper admonuit philosophos, ne notionibus comparativis vim verarum et idearum et rerum impertirent. In confusis quidem Metaphys. fragmentis saltuatim proprietatem sermonis usque premens, non mentis ratiocinantis secutus operationes illa lubrica via (τῇ εἰς τὸ ἀδύνατον ἀγούσῃ ἀποδείξει) progreditur, qua rem aliter cogitari non posse pro necessitatis nota accipitur. Adeo quod in logica brevi successit, ut via et ratione procederetur, in metaphysica non item; longis errorum ambagibus post duo demum millia annorum justa ejus methodus reperta est.

Posthac in omnibus, quotquot exstiterunt, philosophis graecis nemo prorsus prodiit, qui Platonem aut Aristotelem sive ingenii magnitudine sive eruditionis amplitudine aequipararit, neque per tria quae sequuta sunt secula quidquam novi majorisve momenti ad promovendam dialecticam repertum est. Multa quae ab aucto-

ribus familiarum maxime dissidentium tradita erant, omnifariam tentabantur, fusius exponebantur multiplicique disputationum genere inter se comparabantur; pleraque ad usum popularem et civilem translata quum ad novas logicae methodique subtilioris normas excolebantur, tum iu ampliore observationum experientiae historiae criticae campo inprimis Alexandriae magis eruditionis vastae diligentia quam ingenii inventoris acie tractari coeperant. Nec non grammatica avia rhetorica matre logica nata paulatim incrementa capiebat majora. In philosophia, si locos de fontibus veri et falsi atque de comprehensibilitate innumerabilibus Academicorum et Stoicorum disputationibus nequidquam tractatos exceperis admodum nihil ad interiores cognitionis humanae recessus quo caput totius rei redit perscrutandos repertum est. Quid quod Scepticorum qui in veritate omnino desperanda gloriabantur tota ratio nihil aliud quam illud Gorgiaeum dilatavit: (Aristot. de X. Z. et G. 5.) *οὐκ εἶναί φησιν οὐδέν· εἰ δ'ἔστιν, ἄγνωστον εἶναι· εἰ δὲ καὶ ἔστι καὶ γνωστόν, ἀλλ' οὐ δηλωτὸν ἄλλοις.*

Qui a Platone erant, locum de ideis, quod caput totins disciplinae erat, magis obscuraverunt, quam illustraverunt; plerique summa re neglecta aut ad Pythagoreorum numeros Timaeique commenta aut ad populares de moribus disputationes descenderunt. Multo pejus proxime Aristoteli accidit, qui singulari chartarum casu perdiu jacuit, paulatim commentatores eruditos paucos, interpretes pessimos plurimos nactus medio demum aevo perpetuo regnavit magis organi auctoritate quam metaphysicae male intellectae dictatis. Jam vero Epicurus Democriti vestigia premens quum pauca in dialecticis mutaret sed ita ut quod corrigere vellet etiam depravaret tollendo definitiones neque quomodo efficeretur concludereturque ratio tradendo paene nudus et inermis veritatis fontem temere in sensibus posuit, quibus tanquam secundo loco anticipationem quandam addidit non aliunde videlicet quam ex iisdem sensibus oriundam. Sic in orbem actus, quemadmodum Aristoteli acciderat, etiam pejus erravit nec Democriti atomos cogitari tantum, non sensibus percipi neque ab anticipatione sua etiam ea, quae sensus plane fugiunt velut vacuum doceri posse satis accurate animadvertens. Huic autem ita discipuli se addixerunt ut quamvis plurimi per aliquot secula exstiterint, nulla fere disciplinae mutatio tradi memoriae potuerit. Academici jam ab initio in doctrina de ideis perspicue tradenda haerentes, dum Zenonis arrogantiae ita informantis sapientem ut nihil opinaretur, omnia comprehensione et scientia teneret, se acerrime opponunt, paulatim in eam inscientiae confessionem delapsi sunt, ut nihil omnino sciri posse affirmarent. Quumque Socrates negasset quidquam se scire praeter illud unum nihil se scire, Arcesilas ne hoc quidem ipsum utrum sciri aliquid possit necne sciri posse reliquit. Idem cum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, assentionem utrimque sustinere philosophum decere pronunciavit. Eodem modo Carneades contra Stoicos, qui visa extra nostram potestatem, judicii assensionem arbitrariam habebant solisque in sensibus certam veritatis notam inesse statuebant, non posse contendit ideam a vera re menti imprimi qualis non posset imprimi a falsa, veritatis igitur

nullam neque in sensibus neque imaginatione neque ratione fidem esse confessus tamen, ne omnis vitae status everteretur, varios probalitatis gradus, quos sequendos esse hominibus, reliquit. Posteriores idearum patrocinio jamdudum deserto plane ad Stoicos transierunt. Hi in physicis Heracliti placita approbantes quum Socraticam de virtute disciplinam philosophiae caput et finem haberent, in dialectica tam Platonem quam Aristotelem parum respicientes in imperfecta mancaque Megaricorum Syllogistica haerebant. Eaedem de notionibus generalibus dubitationes, eadem, quod post evulgatum Aristotelis de soph. elenchis libellum, nisi tum intercidisse suspiceris, magnopere mireris, in diluendis sophismatis sinisteritas. Sensus potius communis, quam perspicacis acutaeque dialecticae doctores, multa quae ad grammaticam, rhetoricam easque psychologiae partes, quibus initia cognoscendi docentur, diligenter et fuse investigaverunt adeoque dialecticam argutiarum spinetis syllogismorum, definitionum, partitionum infinita silva impleverunt, ut reliquas etiam philosophiae partes obscurarent neque dum vera magis dijudicarent quam invenirent summa illa principia magnopere curarent. Quod autem inter omnes philosophorum familias in illa de criteriis veritatis disputatione paulatim tacite convenerat, ut Platonis de ideis nobis insitis sumptionem mitterent, etiam Stoicis placebat, licet eorum ratio eo spectaret ut sapientem effingerent talem, qui nunquam falleretur. Jam mentem per se inanem sine sensibus tabulam rasam esse, quae et visis et rerum notitiis extrinsecus inscriberetur, apud omnes fere constabat.

Xenophanes qui primus mentis aciem a sensibus avocaverat, quod esse unum tantum liqueret, alia omnia fluctuarentur, inscientiam primus questus erat. Heraclitus fieri omnia, nihil permanere; idcirco omnia et vera et falsa esse. Democritus non spectari atomos post visa positas. Socrates summum esse sapientiae nosse nihil nos scire. Plato cum Pythagora sensibus ut opinionem, ita menti sua principia veritatisque auctoritatem tribuerat. Quorum sententiam Aristoteles quamvis verum si quaeris magnam partem probaret, quum parum firmiter stabilitam deprehendisset, fretus novis dialecticae suae rationibus ex solis sensibus visorumque memoria vel intellectus veritatem repetere non dubitaverat, non considerans, quomodo illa aeterna ac necessaria ex flumine Heracliteo percipi possent. Deum quidem μεταφυσικῶς fontem principiorum fecerat; verum mens humana in orbem agitur ubi sua principia aliunde quam ex se ipsa petere jubetur. Posteriores deinde paulatim pro explorato sumpserunt sensibus omnia deberi et rationes argumentationesque certas ex rebus fluxis atque incertis posse derivari. Hinc tres illae Scepticorum familiae qui omnibus omnium sectarum dogmatis inter se comparandis ἀῤῥεψίαν neutram in partem affectantes spem omnem scientiae plane desperabant neque ullum inveniri verisimilitudinum, nedum veritatis criterium acute argumentabantur. Quumque Academici gradus probabilitatis plures concessissent, Spectici non item, pariter a sensibus atque a ratione destitui homines, affectionibus et opinionum institutorumque consuetudinibus regi. Sic rationem quidem non ejurantes dogmatismum empiricum ut

infirmis dialecticae mancae firmamentis munitum acerrime impugnabant. Summis enim principiis fluctuantibus definitionum, syllogismorum, inductionum usus negabatur, caussarum investigatio desperabatur, res denique singulae perinde ac genera et species incomprehensibiles declarabantur. Mitto decem Aenesidemi locos communes adversus dogmaticos nec non Agrippae quinque modos (*τὸν ἀπὸ τῆς διαφωνίας, τὸν ἀπὸ τῆς εἰς ἄπειρον ἐκπτώσεως, τὸν ἀπὸ τοῦ πρός τι, τὸν ἐξ ὑποθέσεως, τὸν δὲ διάλληλον τρόπον*) quum Sextus Emp. brevissime totius criticae illius negativae sententiam sic comprehenderit: Pyrrhon. Hypotyp. L. 1. c. 16. 178. 179. *ἐπεὶ γὰρ πᾶν τὸ καταλαμβανόμενον ἤτοι ἐξ ἑαυτοῦ καταλαμβάνεσθαι δοκεῖ ἢ ἐξ ἑτέρου καταλαμβάνεται· τὴν περὶ πάντων ἀπορίαν εἰσάγειν δοκοῦσι. καὶ ὅτι μὲν οὐδὲν ἐξ ἑαυτοῦ καταλαμβάνεται, φασὶ δῆλον ἐκ τῆς γεγενημένης παρὰ τοῖς φυσικοῖς περί τε τῶν αἰσθητῶν καὶ τῶν νοητῶν ἁπάντων διαφωνίας. ἣ δὴ ἀνεπίκριτός ἐστιν, μὴ δυναμένων ἡμῶν μήτε αἰσθητῷ μήτε νοητῷ κριτηρίῳ χρῆσθαι διὰ τὸ πᾶν ὅπερ ἂν λάβωμεν ἄπιστον εἶναι διαπεφωνημένων. Διὰ δὲ τοῦτο οὐδ' ἐξ ἑτέρου τὶ καταλαμβάνεσθαι συγχωροῦσι. εἰ μὲν γὰρ τὸ ἐξ οὗ τι καταλαμβάνεται, ἀεὶ ἐξ ἑτέρου καταλαμβάνεσθαι δεήσει, εἰς τὸν διάλληλον ἢ τὸν ἄπειρον ἐμβάλλουσι τρόπον.* Quid inde aliud docemur nisi mere cogitando nullam gigni cognitionem, quae judicia sensuum superet sive analytica tantum arte logica proferri; desiderari autem synthetica generalia ea, quae rationi ipsi insint. Et propter id ipsum non dubito Scepticismo maximam promotae dialectices laudem impertire, quod ejus ope primum perspicue intellectum est nos rerum cum notionibus harmonia quadam quasi praestabilita usque inclusos teneri atque jam ante doctrinam multa intrinsecus cognosci, ex quibus alia pendeant. Sed non ea fuit et temporum conditio neque is ingeniorum vigor, ut ad universae rei dimicationem venirent. Itaque tota caussa usque ad Lockii tempora injudicata mansit.

Labefactatis igitur, dum omnes notiones nequidquam extrinsecus repeterentur, cognitionis humanae fundamentis, pedetentim cum antiqua mythologia cultuque etiam Physicorum de coeli divinitate conciderant placita. Frustra Stoici vel sine immortalitatis spe mythorum divinationisque superstitionibus patrocinati erant; nequidquam mystica notionum hypostasi Platonis symbolica et Daemonologia a summo principio rationis somniatae, ex qua notiones quasi suo jure aliae ex aliis enascerentur, theoriam illam divinam directius affectaverant. Jam Christiana religione mundus intelligibilis ille Platonis omnibus hominibus, non philosophis solis patuit multoque major et sanctior quam Platonis respublica proposita erat civitas Dei, qui creator mundi non sphaeras extrinsecus in circumferentia moveret immotus, sed pater hominum voluntates introspiceret. Dum igitur novo rerum ordine praecipue sapientissimo illo Moysis praecepto, ne facito tibi sculptile aut imaginem, per medium aevum cogitatio ab iis, quae extra sunt revocatur et in semet ipsa convertitur, imago coeli a Platone expicta, ut in inclyto Dantei carmine, aliquamdiu nimirum exanimata tenuit atque per omnes disciplinas artesque Aristotelis dialectica, quae theologiae ancillabatur, graviter lateque dominata est. Deinde jam renascentibus literarum studiis Coper-

nicus quum in explicandis corporum coelestium motibus nisi circumagi spectatorem, stellas quiescere sumsisset, nihil profici perspexisset, astronomiam disciplinarum physicarum regnatricem ita reformavit, ut mox Keppleri et Newtoni inventis immortalibus ab astrologiae superstitionibus plane liberata uno gravitatis axiomate niteretur. Simul Baconis novo organo et Galilei inventis incitati mathematicis in dies magis excultis auctaque inde instrumentorum supellectile egregie adjuti nova inductionis methodo factisque periculis sollertius in rebus naturae externae scrutandis explicandisque studium collocare coeperant. Nec non interni mundi leges subtilius investigari coeptae erant, ut universi animi humani plenior ratio haberetur. Cujus rei summa laus imprimis post Lockium Leibnitzio nostro debetur, qui Aristotelis imperfectam de inductione doctrinam accuratiore cognitionis a priori examine promovit. Haesit autem in illa amphibolia notionum comparativarum. Itaque omnia conamina in Scepticismum multo quam Sexti fuerat duriorem desiverunt. Dav. Humii de causalitate dubitationibus impulsus Kantius viamque adhuc intentatam ingressus similiter atque Copernicus in coelo fecerat, quum antea cognitionem humanam ex rebus ipsis effingi ad easque componi debere sine ullo successu sumpsissent, magnam molitionem ita suscepit ut res ipsae ad mentis notitias dirigi explicarique deberent. Hac plane nova methodo transcendentales totius animi facultates penitus perscrutatus primus metaphysicam logicae plane congruentem reperit atque universarum et idearum et notionum generalium originem et cohaerentiam rationis humanae limitibus fontibusque designatis ita explanavit ut hac demum dialectica expleta totius philosophiae rationibusque munita prodierit comprehensio. Rem ab initio quod ipsi simile quid atque Aristoteli accidisset aliter cessisse quis est qui ignoret. Neglecta enim critica mox aut in absurdum idealismum aut in Procli somnia reciderunt. Sed licet sperare his erroribus superatis rectam verae dialectices viam eo celerius inventum iri, si nostrates et philologi et philosophi summo quo coeperunt studio in historiam philosophiae incumbere atque imprimis Platonis et Aristotelis doctrinas diligenter perscrutari perrexerint.

Schulnachrichten.

Den 23. Sept. 1839. wurde zum erstenmale Unterricht in dem neuen Gymnasialgebäude ertheilt. Es ist dies ein Theil des Hauses, welches die Aebte des Arnsberger Klosters in der Wetterau bei ihrem Aufenthalte in Frankfurt bewohnten. Eine Feierlichkeit zur Einweihung dieses Schullocales konnte nicht statt finden, weil dazu der Saal fehlte. Die innere Einrichtung ist sehr zweckmässig.

Der Geschenke für unsere Wittwen- und Waisenkasse erwähnen wir mit innigem Danke: 1839 den 19. Sept. Herr Hauptmann von Xylander 5. fl. 36 kr. — B. S. aus M. und J. N. aus M. durch Herrn Dr. Stellwag 1 fl. — Den 30. Sept. Frau Heitefuss, Wittwe, 3 fl. 30 kr. — Den 1. Oct. Herr Gutermann 2 fl. 42 kr. — Den 5. Oct. Frau Eckhard-Wolf 10 fl. 48 kr. — Den 21. Oct. Herr Nathan Rindskopf 2 fl. 42 kr. — Den 22. Oct. Herr Freyboth und S. durch Herrn Dr. Stellwag 1 fl. — Den 24. Oct. Herr Germ. Berna 2 fl. 42 kr. — Den 10. Dec. Herr G. Peters und Herr L. Scholl 2 fl. — Den 17. Dec. Herr G. und Fräulein F. 48 kr. — Herr Sch. 6 fl.

Zu der bevorstehenden Prüfung und Progressionsfeierlichkeit habe ich die Ehre alle Hohen Gönner und alle Hochgeschätzten Freunde unserer Schule ehrerbietigst und ergebenst einzuladen, namentlich die Hohen und Hochwürdigen Obern, die Hochlöblichen Bürgerrepräsentanten, die Hoch- und Hochehrwürdigen Geistlichen aller Confessionen, die Gelehrten und Gebildeten jedes Standes und jedes Faches und die verehrtesten Eltern unserer Schüler. Möge die zahlreiche Gegenwart derselben unsere Prüfung und Feierlichkeit verherrlichen und der hoffnungsvollen Jugend zur Ermunterung dienen!

Die Prüfung wird im Schullocale selbst, Frohnhofstrasse, A. 43., zu der gewöhnlichen Unterrichtszeit von Montag den 6. April bis Freitag Morgen den 10. ej. gehalten werden.

Obrigkeitliche Anordnung

der Progressionsfeierlichkeit.

Freitag den 10. April Nachmittags 3 — 5 Uhr.

Im Kaisersaale.

Rede des Herrn Professors J. Weismann.

Versetzung VI — IV.

Maximilian von Voelderndorf und Waradein II: Schilderung der Römer zur Zeit Jugurtha's.

Wilibald Beyschlag I: Ueber die Sitten der alten Deutschen.

Hektor von Günderrode I: De Legibus XII Tab.

Versetzung III — I.

Verzeichniß

der

Lectionen im Gymnasium

zu Frankfurt a. M.

nach

Classen und Lehrstunden geordnet

für das

Sommer=Halbjahr

Uebersicht.

	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	St.	
Protest. Religionslehre	2	2	2	2	2	2	12	
Deutsche Sprache und Styl=Uebungen	2	2	2	2	4	4	16	
Lateinische Sprache	10	12	12	12	10	10	66	
Griechische Sprache	8	6	6	6	—	—	26	
Mathematik	2	4	4	4	4	4	22	
Physik	2	—	—	—	—	—	2	
Naturbeschreibung	—	—	—	—	—	2	2	
Erdbeschreibung	—	—	—	2	4	2	8	
Geschichte	4	4	4	2	—	—	14	
Class. Alterthumskunde	—	—	—	—	—	—	—	
Logik	—	—	—	—	—	—	—	
Schreiben	—	—	—	—	3	3	6	
	30	30	30	30	27	27		174

Besondere Abtheilungen.

	I.	II.	III.	IV.	V.	St.	
Katholische Religionslehre	2	2	2	—	—	6	
Hebräische Sprache	2	2	—	—	—	4	
Französische Sprache	4	4	3	3	—	14	
Englische Sprache	2	2	2	—	—	6	
Zeichnen	VI.	V.	je	3	—	6	
Singen							
							36
Zusammen							210

Diejenigen Lehrstunden, deren Besuch von dem erklärten Willen der Eltern oder Pflegeeltern eines Schülers abhängt, sind durch lateinische Schrift bemerklich gemacht. Der Eintritt in dieselben muss im Anfange des Semesters geschehen.

Montag und Donnerstag.

	Prima.	Secunda.	Tertia.	Quarta.	Quinta.	Sexta.
8 bis 9	Religionslehre. Evang. Protest. Vömel. / Kathol.	Hörter.	Exercitia Latina ☽ pro loco ♃ ex temp.	Geographie. Gutermann.	Latein. Repetition. Heß.	Latein. Gramm. Scholl.
9 bis 10	Livius. Rödiger.	Horat. Od. Schwenck.	Weismann.	Mathemat. (Thilo.) Heß.	Rechnen. Gutermann.	Latein. Exposition (Krebs.) Scholl.
10 bis 11	Sophocles. Schwenck.	Homer. Odyss. Rödiger.	Griechisch. (Jacobs Attica). Weismann.	Griechisch. (Jacobs I.) Heß.	Geographie. (Gaspari.) Gutermann.	Rechnen. (Flügel.) Scholl.
11 bis 12	Französisch. II. Abth. Expos. Minner.		Englisch. I. Abth. Howe.		Zeichnen. VIa. Reges.	
2 bis 3	Mathematik. (Thilo.) Herling.	Caesar. Vömel.	Geschichte. (Schmidt.) Röder. / F. die Kath. Steingaß.	Geschichte. Weismann.	Deutsche Grammatik. Scholl.	Schreiben. Lauten.
3 bis 4	☽ Plato ♃ Exerc. Gr. Vömel.	Geschichte. (Schmidt.) Röder. / F. die Kath. Steingaß.	Mathemat. (Thilo.) Herling.	Latein. Repetition. Weismann.	Latein. Prosaiker. (Krebs.) Gutermann.	Deutsche Orthographie. Scholl.
4 bis 5	Geschichte. (Schmidt.) Röder. / Für die Kathol. Steingaß.	Deutsche Stylarbeit. Herling.	Deutsche Stylarb. (Herling.) Weismann.	Deutscher Styl. Heß.	Französisch, III. Abtheilung. (Jauffret.) Minner.	
5 bis 6	Hebräisch. I. Abtheilung. Herling.					

Dienstag und Freytag.

	Prima.	Secunda.	Tertia.	Quarta.	Quinta.	Sexta.
7 bis 8	Hebräisch. II. Abtheilung. Herling.					
8 bis 9	Plato. Bömel.	Latein. Exercit. ♂ pro loco (Weber.) ♀ ex temp. (Strack.) Rödiger.	Mathemat. (Thilo.) Herling.	Phaedrus. Weismann.	Religion. Ev. Protest. Gutermann. Kathol.	Religion. Ev. Protest. Scholl. Hörter.
9 bis 10	Juvenal. Schwenck.	(Latein, continued)	Cic. Epist. Weismann.	Latein. Exercit. ♂ pro loco ♀ extemp. Heß.	Latein. Prosaiker. (Krebs.) Gutermann.	Latein. Grammatik. Scholl.
10 bis 11	Homer. Ilias. Rödiger.	Hor. Od. Schwenck.	Griech. (Jacobs Attica). Weismann.	(Latein, continued)	Geographie. (Gaspari.) Gutermann.	Rechnen. (Flügel.) Scholl.
11 bis 12	Franz. I. Abth. Exerc. (Jauffr.) Minner.	Englisch. II. Abth. Howe.			Zeichnen. V^{a}. Reges.	
2 bis 3	Geschichte. (Schmidt.) Röder. Für die Kathol. Steingaß.	Mathemat. (Thilo.) Herling.	Griech. Grammat. und Exercitia. Weismann.	Mathemat. (Thilo.) Heß.	Schreiben. Lauten.	Geographie. (Gaspari.) Gutermann.
3 bis 4	Physik. Herling.	Geschichte. (Schmidt.) Röder. F. die Kath. Steingaß.	Latein. Repetition. Rödiger.	Cornel. Nepos. Heß.	Deutsche Stylarbeit. Gutermann.	Deutsche Grammatik. Scholl.
4 bis 5	Deutsche Stylarbeiten. Herling.	Xenoph. Cyri Disc. Rödiger.	Geschichte. (Schmidt.) Röder. F. die Kath. Steingaß.	Griechische Exerc. ext. (Heß.) Heß.	Französisch, III. Abtheilung. Grammatik. Minner.	

Mittwoch und Samstag.

	Prima.	Secunda.	Tertia.	Quarta.	Quinta.	Sexta.
8 bis 9	Latein. Exerc. dom. Schwenck.	Cic. Orr. Vömel.	Religion. Evang. Weismann. Kathol.	Religion. Protest. Heß. Hörter.	Rechnen. Gutermann.	Naturbeschreibung Scholl.
9 bis 10	Cicer. Oratt. Schwenck.	Ex. græc. Rödiger.	Cic. Epist. Weismann.	Cornel. Nepos. Heß.	Latein. Exercitia ☿ pro loco ♄ ex temp. (Schirlitz.)	Latein. Exercitia ☿ pro loco ♄ ex temp. (Hermann.)
10 bis 11	Juvenal. Schwenck.	Mathemat. (Thilo.) Herling.	Ovid. Met. Rödiger.	Griech. Grammatik. Heß.	Gutermann.	Scholl.
11 bis 12	Französisch, I. Abtheilung. Exerc. dom. Minner.	Englisch III. Abth. Howe.	Zeichnen, ☿ V^a. ♄ VI^a. Reges.		Schreiben, ☿ VI^a. ♄ V^a. Lauten.	
2 bis 3	Französ. II. Abtheil. Exerc. (Neueste Chr.) Minner.			Zeichnen. Reges.		
3 bis 4	Geschichte für die Kathol. IV. Classe. Steingaß.		Zeichnen. Reges.		Franz., III. Exerc. dom. (Hecker) Gramm. Minner.	